Nobiliss.e et Ampliss.e dne;

Insigne Carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum, utriq Principi, quod ne sic quidem mandaveras, obtuli, ornatum verbis, quantum pro merito potui, pro amicitia debui. Respondit utriusq nomine Imperator Pater, plurimum se debere tibi; gratias item habere quam maximas, quod forensibus districto negotijs placuerit in has amoenitates excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est nota, quam demonstrando in Patriam et res Auriacas amori ac benevolentiae plane singulari.

Superest ut gratias agam, quas meo quoq nomine ago, Vir Ampl.me quem de potiori turba seligere voluisti magnae humanitatis tuae velim proxenetam. Ruborem illa mihi res incussit, cogitanti, nescio quo fato, neglexisse me nuper, offerre tibi dissertatiunculam de Organis Ecclesiarum Foederati Belgij typis vulgatam. quod si confitente me placabilis es, neq adhuc sesquihorium ista lectione perdidisti, nunc demum ut perdas petere a te audeo; atq ut, expensis rigide argumentis, aperte significes πῆ παρέβην, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. sententiam denique de scrupulis dicere assuetus, de mea dicas, quasi de Tribunali Curiae a qua nulla provocatio est. Expecto quam mox compotem me tanti beneficij facias, et castigando quoq doceas, quam non inter amicitiae tuae tirones sit

Tibi devotiss.us
C. Huygens

In Castris ad Gennepam
III. Iul. CIƆIƆCXLI.

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2758

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2758

Mijn Heere

Mijn Heere van Foreest
Raedtsh[r]. inden Hoogen Rade,
In
'sGravenhaghe.

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2758